

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially obscured by the binding.





L.II.C.DE HERED. PETIT. 26

Q V A M

EX DECRETO MAGNIFICI
ET AMPLISSIMI

JURISCONSULTO
RUM ORDINIS ILLU-
STRIS ACADEMIÆ AR-
GENTORATENSIS.


P R A E S I D E D. O. M.

Pro summis in utroque Jure Doctora-
tus honoribus conse-
quendis 1634, 3.

Solemni examini submittit

JOHANNES LUDOVICUS MIEG,
Heidelbergensis.

Ad diem 8. Maij, Anno M. DC. XXXIV.
loco & horis consuetis.




ARGENTORATI

Typis **JOHANNIS REPP I.**

Anno M. DC. XXXIV.

Collegium Argentinenle.



IUS CANONICUM



IUS CIVILE



302.

SERENISSIMO,
CELISSIMOQUE
PRINCIPI AC
DOMINO

DN. LUDOVICO
PHILIPPO, COMITI

PALATINO RHENI, DUCI BAVARIÆ, &c
Palatinatus Electoralis Administratori & Tutori,
Domino suo Clementissimo,

NEC NON

EJUSDEM CELSITUDINI à CONSILIIS SECRE-
TORIBUS, VIRIS Magnificis, Strenuis, Nobi-
lissimis & Amplissimis

JOH. CASPARO KOLB à Warrenberg / Electorali Præfe-
cto Brettano,

FRIDERICO CASIMIRO PLAARER à Giersperg /
Electoralis Vice-Domino Neostadiensi,

GEORGIO MICHAELI LINGELHEMIO, Jcto.

FRIDERICO SCHLÖHERO, Jcto.

VT ET

MAGNIFICO, NOBILISSIMO ET EXPE-
RIENTISSIMO DOMINO PETRO DE SPINA,


Archiatro Electorali Aulico, Rectori & Pro-
fessori primario Universitatis
Heidelbergensis.

DOMINIS, Evergetis, Patronis & respectivè Affinibus:
suis, summa animi observantia colendis,

humilimè & submissè

D. D.

Joh. Ludovicus Mieg



L. II. C. DE HERED. PETIT.

SI post motam controversiam, Menecratis bonorum partem dimidiam Musæus ab hærede scripto, quaestioni illatæ non ignarus, comparavit, tam ipse quasi malæ fidei possessor, quam heredes ejus fructus restituere coguntur. Si vero venditionem lite antiquiorem esse liquidò probetur; ex eo die fructus restituantur, ex quo lis in judicium deducta est. Fructibus enim augetur hereditas, cum ab eo possidetur, à quo peti potest. Emptor autem, qui proprio titulo munitus est, etiam singularum rerum jure convenitur.

Dignum hoc rescriptum disquisitione dicas, sive materia, quam continet, utilitatem consideres, sive difficultatem, de qua omnes Interpp. testantur, spectes, sive deniq; vel hoc solum, quod veteres pariter & recentiores Dd. ferè omnes in explicatione ejus aberrarunt, perpendas. Ego, neglecta communi, & aliorum methodo pro ratione temporis & mei instituti, quâ potero brevitate explicationem ejus proponam.

1. Sensus & summa legis hæc est: Emptor bonorum hereditatis ejus quæ postea evicta est, tenetur de fructibus perceptis & percipiendis, si sciverit controversiam de hereditate motam fuisse; quod si ignoraverit, tantum ex tempore litis secum contestatæ fructuum nomine obligatus erit, speciali in rem actione conveniendus.

2. Rescripti hujus partes sunt duæ; Prima continet decisionem

A

ipsam

ipsam Imp. Severi & Antonini, qui sunt authores hujus Rescripti; altera autem decidendi rationem suppeditat, & incipit à vers. Fructibus enim, usq; ad finem ex quo vers. etiam ratio debitandi peti potest ac debet. Quælibet autem legis pars duo membra in se continet de quibus ordine agendum.

3. Ait Lex: Si POST MOTAM CONTROVERSIAM MENECRATIS BONORUM PARTEM DIMIDIAM MUSÆUS AB HEREDE SCRIPTO QUÆSTIONIS ILLATÆ NON IGNARUS COMPARAVIT, TAM IPSE QUASI MALÆ FIDEI POSSESSOR, QUAM HEREDES EIUS FRUCTUS RESTITUERE COGUNTUR.

4. Verba, POST MOTAM CONTROVERSIAM, satis innunt, in hoc priore legis membro hereditatem jam tum, cum Musæus partem bonorum emeret, litigiosam fuisse.

5. Litigiosa res fit & dicitur in actionibus in rem citato adversario & proposita petitione *Auth. Litigiosa C. de Litig. ibiq; Dd. N. 112. c. 7. Clem. 2. Ut lite pend Bart. in l. 1. §. 1. ff. de Litig. n. 1.* In actionibus in personam per litem contestationē *l. 2. ubi Dd. C. d. t. Wesenb. π. de Litig. n. 2.* Et hæc est comm. opinio teste Sichard. *in d. Auth. n. 2.*

6. Non autem facit rem litigiosam denunciatio extrajudicialis aut comminatio litem *l. 1. p. ff. de litig. l. 8. §. 1. de alien. jud. mut. caus. nec denunciatio, ne pignus vendatur l. 1. C. de litig. l. 2. C. de distr. pignor.*

7. Ubi præcipua occurrit dubitatio, an hæc alienatio rei scilicet litigiosæ valeat, an vero ipso jure nulla sit? Et licet alienatio rei litigiosæ ex quocunq; contractu prohibita sit, *t. t. ff. & C. de Litig.* tamen eam ipso jure subsistere & proinde rescindendam esse affirmo cum Cuj. *in Comment. ad tit. C. de litig. per l. 2. ult. d. t. & l. 17. 18. ff. de Rei vind.* Dissentiunt communiter Dd. *in d. l. 2. Bart. in l. si inter ff. de litig. n. 2. gl. in h. l. n. in verbo, Peti Sichard. h. n. 2. & 4. in l. ult. C. de litig. n. 6. & ipse Cujac. sibi contrarius in recit. ad h. l. n.*

8. Quæ autem controversia illa fuerit, hic non exprimitur, sed facile est ponere speciem facti in herede scripto qui sine vitio fuerit in possessione, & cui heres legitimus litem moverat, testamentum ruptum vel irritum dicens *arg. l. 2. C. de Edict. D. Hadr. toll.*

9. Sequitur, BONORUM PARTEM DIMIDIAM, quæ verba non de quota sive semisse hereditatis (quod tamen fecerunt pleriq; Glossatores & Interpp. indeq; in cæteros errores dilapsi sunt, quibus se extricare non possunt) sed de rebus singulis, quæ tamen conficiant dimidiam partem bonorum sive totius hereditatis sunt accipienda. *Odofr. alleg. ab Alber. de Rosat. in h. l. vers. Emptor autem. Cuj. in com. ad h. l.*

h.l. Don. 19. com. 12. lit. y. & Ampl. D. Bitsch. Patronus & Præceptor meus observandus in lect. ad h.l.

10. Notandum ergo, Bona hic opponi hereditati, quæ oppositio in jure frequentissima ut *l. 8. f. cum l. 9. de leg. 2. l. 15. 23. 26. §. ult. cum l. l. seq. de leg. 1.* imò quoties vocabulum Bonorum occurrit in dubio ita accipiendum puto *arg. l. 39. §. 5. de V. S.* cujus rei insignis effectus, quod hæc intelligantur sine onere, illa sit cum onere conjuncta *dd. ll. adde Treutl. vol. 1. disp. 14. §. 11. lit. A.*

11. Quæ de dimidia parte dicuntur, ad factum referenda sunt, idem enim juris esset, si vel major vel minor pars bonorum vendita fuisset.

12. Verba illa, *QUÆSTIONIS ILLATÆ NON IGNARUS*, indicant, Emptorem statim ab initio, tempore sc: contractus, in mala fide fuisse, proindeq; nec usucapere, nec fructus acquirere potuisse, ut statim dicturus sum.

13. Refert autem sciens an ignorans rem litigiosam quis emat, non tantum ratione fructuum, de quibus hic sermo, sed etiam respectu rei ipsius. Nam licet indistinctè res litigiosa alienata vitium litigiosi contrahat, & perinde ac si alienatio non intervenisset, restituenda est, sive à sciente comparata sit, sive ab ignorante *l. ult. p. C. h. t.* cum sit vitiū quoddā reale *Cuj. παρ. C. de litig. & in recit. ad d. de litig.* tamen quoad pœnam litigiosi multum interest, sciens an ignorans rem litigiosam comparaverit, siquidem scienti duntaxat pœna proponitur, ut patet ex collatione *l. ult. p. & §. 1. C. de litig. cum l. 2. ff. eod. tit.* *Cuja. in d. l. in. fi.*

14. Ait Lex: *TAM IPSE QUASI MALÆ FIDEI POSSESSOR, QUAM HEREDES EIUS FRUCTUS RESTITUERE COGUNTUR.*

15. Rectè hic vocatur malæ fidei possessor, quippe qui intelligat se rem alienam contra leges possidere *arg. l. 38. de usurp. cum l. 13. §. 1. de Public. in rem act.* sicut & ipsa mala fides à Jctis, læsa & mala conscientia, bona autem fides illæsa rei alienæ conscientia vocatur. *arg. §. 35. l. de R. D. l. 109. de V. S.*

16. Vox *QUASI*, hic non de notat improprietatem, sed expressivum est veritatis, non similitudinarium ut loquitur Alber. de Rotat. in *h. l. n. vers. In singularibus sicut & in l. 1. de transact. l. qui Romæ 122. §. 6. de V. O.* hoc sensu accipitur.

17. Circa *HEREDES* lex nostra non distinguit, de quibus tamen non satis constat inter Dd. utrum sc: heres malæ fidei possessoris dam nari & ipse ut m. f. possessor de fructibus debeat, licet ipse bonā fidem

fidem habeat? quod ego negandum puto *arg. l. 23. §. 1. l. 40. l. 48. de A. R. D. gl. in l. vitia 11. C. de acquir. poss. Copus 2. de fructib. tit. 4. c. 3. & pro more suo h. e. eleganter & acutè Clar. D. Bachov. innot. ad Treutl. vol. 5. disp. 15. §. 12. lit. D.* quæ enim ratio est supervenientis malæ fidei in eadem persona, eadem est supervenientis in persona diversa, indeq; si defunctus, in bonâ heres in malâ fide sit, usucapio quidem rei procedet sed fructus suos heres non faciet: Quod cum tanquam certum ponatur à Bart. *in l. 35. de R. V. & ab alijs quoq; concedatur, non video cur non & in casu inverso eadem ratione dicendum, quod usucapio quidem non procedat, fructus tamen suos faciat arg. d. l. 48. Dissent. Menoch. rem. 15. recup. possess. n. 618. Treutl. 1. 15. 12. D. ubi pro se adducit vulgò Dd.*

18. Ratio diversitatis hæc fortè reddi potest, quod in usucapione, quæ continuatam requirit possessionem, initium tantum inspiciatur, quod si fuerit justum, tota justa videri potest: §. *diutina l. de usuc. in fructuum perceptione plures & distincti sunt actus, qui singuli ex coherente bona vel mala fide aliter atq; aliter formantur. D. Bach. d. loco.*

19. Vocabulum FRUCTUS variè sumitur, ut ex collatione *l. 88. §. fi. ad l. Falc. §. 35. l. de R. D. l. 62. p. de R. V. l. 72. de R. I. & alijs locis patet, adde C. I. A. l. 22. tit. 1. §. 29. propriè tamen fructus vocabulo veniunt quæcunq; rerum natura propter hominem produxit ut in *l. pen. de usu & usufr. l. 45. de usur. & alibi.**

20. Et hi fructus vel solo adhuc coherent, & vocantur pendentes; five stantes, vel à solo sunt separati, qui vocantur percepti (& hi sunt vel extantes vel consumpti) vel deniq; sunt percipiendi, qui sc: percipi potuerunt vel debuerunt ut patet ex *l. 27. p. de usufr. §. 35. 36. l. de R. D. l. 3. C. de cond. ex leg. l. 77. §. 19. de leg. 2. & alibi passim. Coll. Jur. Arg. lib. 22. tit. 1. §. 30.*

21. Fructus autem indistinctè & simpliciter m. f. possessor in hac l. n. restituere jubetur; Unde dicendum quod sicut alias regulariter, ita & hic malæ fidei possessor teneatur restituere nō tantum perceptos, sed & percipiendos *l. 1. C. de her. pet. l. 1. f. C. de fide & jure hast. l. 10.* five titulum habeat five non Dd. & Cyn. *in l. 22. C. de R. V. n. 4. f. de illo tamen dis. gl. in l. 17. C. d. t. in verbo, percepisse. five ante litem contestatam perceperit, five post h. l. n. & generaliter omnes l. 22. C. de R. V. §. 2. l. de off. jud. l. 25. de usur. & alibi.*

22. Ait Lex; RESTITUERE COGUNTUR, nec adjicit, quâ actione; Unde præcipua hujus legis quaestio orta, qua sc: actione heres Emptorem;

ptorem Musæum convenire debeat? Et quidem tum veteres tum recentiores Interpp. communiter & ferè uno ore id accipiunt, de heredit. petitione saltem utili. Bald. *h. n. 3.* Bart. *n. 1.* Cyn. *n. 3.* Sichard, *n. 4.* Odofr. *alleg. ab Alber. ibid. vers. ibi fructus.* Duar. *ad tit. de inoff. test. c. 10.* Vaud. *2. quest. 24.* Aliam & singularem opinionem proponit Dn. Bach. *in Treutl. 1. 14. 4.* C. duplicem constituens hereditatis petitionem, propriam & impropiam. Verior & textui magis conveniens opinio est, si intelligamus iudicium in rem speciale sive rei vindicationem, siquidem subjecta decidendi ratio hereditatis petitionem vix admittere videtur, ut eleganter docet Ampl. D. Bitsch. *in lect. sua ad h. l.* & aliquo modo Cuj. *in recit. ad h. l.* ubi circa prius membrum ipse fluctuasse videtur, hered. petitionem concedens.

23. Sequitur nunc alterum membrum partis prioris, cuius hæc sunt verba: SI VERO VENDITIONEM LITE ANTIQUIOREM ESSE LIQUIDO PROBETUR, EX EO DIE FRUCTUS RESTITUAT, EX QUOLIS IN JUDICIUM DEDUCTA EST, qui versiculus agit de bonæ fidei possessore, ut patet ex verbis, venditionem lite antiquiorē, adeoque rectè diversum jus à priori statuitur.

24. Ad illa verba, VENDITIONEM LITE ANTIQUIOREM ESSE LIQUIDO PROBETUR, quarunt Dd. Utri parti incumbat probatio, Actori an Reo? Et puto, sicut aliàs, ita & hic, omnino actori probationem incumbere, qui nisi probaverit, venditionem lite posteriorē esse, eo ipso contrarium satis & liquido probatum intelligi debere ut vult gl. notab. *h. & in l. 11. C. de long. temp. præscr.* Bald. *ad h. l. n. 4. & 5.* Sichard. *n. 9. fac. l. 6. p. C. milit. poss. lib. 12.* Non enim præsumitur lis mota, mala fides, aut scientia, sed bona fides & ignorantia *l. 21. de probat. l. super. C. de longi temp. præscr. gl. in l. nou ex eo C. de evict. & in l. ult. C. de litig. in verbo, Venditiones.* Sich. *in d. l. ult. n. 9. & 10.* factaq; probari non præsumi tralatitium est *l. matrem 17. ibiq; Dd. C. de probat.*

25. Ex quo ipso duo notari possunt, I. Si lex vel statutum liquidam probationem super re aliqua requirat, quod tunc etiam intelligatur liquida probatio, quæ inducitur ex præsumptione juris, ut Angel. *in h. l. nu. 2.* notat; sicut eodem modo dicuntur liquida probationes & exactæ, quæ ex argumentis colliguntur, ut est text. notab. *in l. licet 74. de legat. 1. fac. l. 38. de jurej. l. 5. C. de peric. tut.* Angel. *d. loco.*

26. II. Ubiq; in tempore aliquo quis se fundat, vel (ut loquitur Angelus *h. n. 3.*) ubiq; aliquod tempus est de substantia ad reportandam victoriam, ibi illud tempus probari oportet liquido & punctualiter ut *h. l. n. & l. matrem tuam, ubi Dd. C. de probat. l. eum actum*



17. ff. de negot. gest. idem & de loco fac l. 8. §. 5. de oper. nov. nunc. & de per.
sonal. denunciaste 17. §. 3. ff. ad L. Iul. de adult. & de alia qualitate intelli-
gendum est l. 4. §. 12. ff. de vi bon. rapt. Angel. d. loco

27. Verba illa, EX EO DIE FRUCTUS RESTITUAT EX QUO LIS
IN JUDICIUM DEDUCTA EST, non litis contestationem requirunt,
sed sufficit litem quovis modo motam ut s. b. ipsa l. puta si denuncia-
ta lis sit, si dies iudicio dictus, si adversarius evocatus & citatus sit l.
25. §. 8. de her. pet. Cuj: in h. l. n. Bald. in l. 1. C. h. t. n. 4. 5. Sich. ib. n. 9. imò
ut in m. f. constituatur, sufficit etiam quælibet denunciatio vel su-
pervenientis scientia l. 20. §. 11. de her. pet. l. 23. §. 1. l. 40. de A. R. D. unde
quod hic & alibi lite mota, vel contestata fieri m. f. possessorem asse-
ritur, illud forte idè fit, quia per eam manifestius significetur termi-
nus quo bona fides definit, ita tamen semper exaudiendum, ne scien-
tia injustæ possessionis excludatur gl. & Dd. comm. in l. 1. C. de her. pet.
Menoch. rem. 15. recup. poss. n. 615.

28. Ait Lex: EX EO DIE & C: Rectè; Nam generaliter bonæ fidei
possessor, qui tamen animo & opinione Domini possideat (qualis
est de quo in hoc vers. agitur) fructus perceptos pleno jure suos in-
terim facit, sed consumptione lucratur; sine distinctione, sitne lucra-
tiva causa possessionis an onerosa: sintne hominis facto nati fructus,
an sola natura operante; sitne locupletior ex illis factus nee ne: sintne
ab alio facti, an ab ipso b. f. possessore l. 48. de A. R. D. l. 25. §. 1. l. 28. p. & §. 1.
de usur. l. 4. §. 19. de usur. §. 35. l. de R. D. & §. 2. 3. l. de off. jud. Coll. Jur. Arg.
l. 22. tit. 1. §. 32. Dissent. variè varij Dd. in l. 1. C. de her. pet. l. 22. C. de R. V.
& alibi, quorum Catalogum videre est in Treutl vol. 1. disp. 15. §. 11. per
rot. & in D. Bach. notis ad d. locum. Don. 4. comm. 25.

29. Quod si per controversiam motam (ut in h. l. n.) vel alio mo-
do resciverit, se rem alienam possidere ex eo tempore æq; ac m. f. pos-
sor restituet universos h. l. n. & l. 1. C. h. l. 22. C. de R. V. l. 25. §. 7. de her. pet.
post litem enim motam idem ferè jus est bonæ fidei possessoris &
prædonis d. §. 7. Don. 19. comm. 12. Lit. M. & seqq. Dd. in l. 1. C. de hered.
petit.

30. Quod autem dici solet, Litis contestatione m. f. possessorem
effici & proinde fructus ex eo die restituendos, cum mica salis acci-
piendum monet D. Bachov. in not. ad Treutl. vol. 1. disp. 15. §. 12. lit. A. ut
sc: post litem contestatam res evicta proponatur fac l. 25. §. ult. de usur.
l. 26. p. C. eod. Et hoc etiam velle videtur Bart. in l. 15. ff. de R. V. inquit,
si fictè per litis contestationem superveniat mala fides, quod posses-
sor fructus suos faciat, licet re evicta eos restituat d. l. 25. §. ult. sicut ex
diverso

diverso, respectu usucapionis ipsius rei, plus nocere creditur mota
controversia, quam supervenientia malæ fidei. *l. 10. C. de acquir. poss. &*
alibi. W esemb. par. de usurp. n. ult.

31. Transeo nunc ad rationem decidendi, (quæ tamen & rationem
dubitandi continet) cujus prius membrum ita se habet; FRUCTI-
BUS ENIM AUGETUR HEREDITAS, CUM AB EO POSSIDETUR, A
QUO PETI POTEST; quasi diceret, licet justè dubitari posset, an non
hoc nostro casu fructus, etiam ante litem contestatam percepti, à b. f.
possessore essent restituendi, quippe cum hereditatis pars sint, pars au-
tem rei principalis omnino in restitutione veniat, sicut simile defru-
ctibus pendentibus traditur *in l. 44. de R. V. & l. ult. §. pen. que in fr. cred.*
(hactenus est ratio dubitandi, quæ jam submovetur) tamè illud tum
demum obtinet, quando agi potest hereditatis petitione sive iudicio
universali, non & quando speciali in rem actione (ut in h. l. n.) locus
est; quod utrumq; in textu, licet paulò obscurius continetur, ex eoq;
probari potest.

32. Ait Lex: FRUCTIBUS AUGETUR HEREDITAS, quæ forma
loquendialibi quoq; sæpius occurrit *ut in l. 20. §. 3. l. 25. f. l. 27. l. 40. §. 1.*
l. 51. §. 1. de her. pet. l. 178. §. 1. de V. S. hoc autem innuunt, Fructus
percepti ex hereditate, ipsius hereditatis pars & augmentum fiunt, &
appellatione hereditatis continentur ejusq; petitione veniunt. Cu-
jus rei insignes effectus aliquot hic ad explicandam leg. nostram su-
bjicere libet.

33. I. In iudicio universali sive hereditatis petitione, fructus (ante
litem contestatam percepti) jure & potestate ipsius actionis veniunt;
adeo ut vel ad solos eos consequendos, tanquam res hereditarias vel
hereditatis partem, hereditatis petitio detur *l. 20. §. 3. & 12. ff. de hered.*
pet. Hereditas quippe juris nomen est, augmentum ac deminutio-
nem recipiens *d. l. 20. §. 3. l. 50. p. ff. de her. pet. l. 178. ff. de V. S. fac. l. 39. de*
usur. At in iudicio singulari, sive Rei vindicatione fructus rei (ante
litem contestatam percepti) non veniunt jure ac potestate ipsius a-
ctionis, ut vel ipsi (extantes sc:) sine ipsa re per Rei vindicationem
peti possint; sed tantum iudicis officio veniunt & præstantur tan-
quam sequela rei *§. 2. l. de off. jud. & arg. l. 4. §. 2. ff. fin. re. l. pen. ff. fam. etc.*

34. II. In iudicio universali bonæ fidei possessor, quatenus locu-
pletior factus est, tenetur fructus etiã cōsumptos restituere *l. 20. §. 6. l.*
40. §. 1. de H. P. l. 1. C. eod. Et hac Regulâ nullam veriorem esse in jure di-
cit gl. *in l. item veniunt §. cum autem ff. de H. P.* alleg. ab Ang. *in h. l. in pr.*
In iudicio singulari b. f. possessor consumptos indistinctè lucratur
per §. dicta d. 28.

35. III. Malæ fidei possessor in iudicio universali, non tantum fructus ante litem contest. perceptos, sed & fructuum fructus seu usuras restituere tenetur *l. 40. §. 1. l. 50 §. 1. de her. pet. l. 17. 18. p. de his quib. ut indign.* In speciali in rem actione fructus quidem, at non usuræ fructuum, ab eo præstantur *l. 15 ff. de usur.* Cuj. *in recit. ad Papi n. l. 2. Resp. ad d. l. 50. §. 1.* quia in hac actione fructus ante litem contestatam percepti, non veniunt per se, & jure actionis, tanquam res petita & vindicata; sed, ut dictum est, tantum officio iudicis, tanquam sequela & accessio: at accessio accessionis, commodum commodi, usura usuræ non est, ne sint infinitæ præstationes *l. 2. §. 5. de admin. rer. ad eio. pert.* adde Bart. *in l. 1. C. de her. pet. in si. Sichard. ibid. n. 11. & Castrens. ibid. n. 5.*

36. Illa verba, FRUCTIBUS ENIM AUGERETUR HEREDITAS CUM AB EO POSSIDETUR, A QUO PETI POTEST, clariora erunt, si vel verba, *Tum demum*, vel, *non nisi*, subintelligamus, perinde ac si dixisset, Fructibus augetur hereditas *tum demum* cum ab eo possidetur, vel, *non* augetur fructibus hereditas *nisi* ab eo possideatur à quo peti potest. Et hanc formam loquendi etiam alibi occurrere probat Ampli. D. Bitseh. *sepè d. loco.*

37. Peti autem hereditas regulariter tantum ab eo potest, qui pro herede vel pro possessore possidet *l. 9. 10. & seqq. de H. P. sive revera possideat, sive juris interpretatione pro tali habeatur, ut qui se liti obtulit l. 13. §. 13. l. 45. de H. P. & qui dolo possidere desit l. 13. §. pen. l. 25. §. 8. d. t. Dd. comm. in l. 7. C. de H. P.*

38. Tandem Impp. hanc l. ita concludunt; EMPTOR AUTEM QUI PROPRIO TITULO POSSESSIONIS MUNITUS EST, ETIAM SINGULARUM RERUM JURE CONVENITUR h. e. Emptor Musæus, quia titulo singulari possidet, non iudicio universali hereditatis petitionis, sed speciali in rem actione est conveniendus.

39. Ait Lex: QUI PROPRIO TITULO POSSESSIONIS MUNITUS, in quibus verbis est ratio, cur non possit hereditatis petitione conveniri, quia scilicet titulo singulari possidet; adversus eum autem qui titulo possidet non dari hereditatis petitionem tralatitium est *l. 7. C. de her. pet. Wes. π. d. t. n. 10. f.*

40. Ratio hujus rei est, quia ut locum habeat hered. petitio, requiritur controversiam esse de hereditate, titulo autem possidens de ea non controversatur, ut loquuntur Cuj. *in h. l. & l. 7. C. eod.* Clar. D. Bachov. *in not. ad Treutl. 1. 14. 16. B. gl. in l. hereditatem C. In quib. caus. cess. long. temp. præser.* Licet Dd. comm. dissentiant Bart. *in l. 7. C. h. n. 2. & latè Cyn. in l. cogi. C. b. t. n. 8. Bald. in d. l. 7. n. ult. Sichard. in h. l. n. n. 5.* ubi aliam hujus rei rationem assignant.

41. Per

307.
41. Per proprium itaq; titulum hic intelligitur titulus singularis; qui opponitur titulo (si ita vocare licet) universalis *ut in l. 5. §. 3. de solut. cum l. ult. de eo quod cert. loc.* Titulus a. est causa possessionis Cuj. *in h. l.* Adde Cyn. *in l. cogi. nu. 5. C. h. t. ubi 9.* significationes Tituli ex Dd. adducit.

42. Particula ETIAM, valde Interpp. turbavit, dum pleriq; putarunt, hoc vocabulum implicare heredit. petitionem, quasi Emptor non tantum heredit. petitione sed etiam rei vindicatione possit conveniri *gl. b. Bald. ib. n. 3. p. Azo ib. & alleg. sup. d. 22. Aliter Don. 19. comm. lit. Z. & Hillig. ibid. lit. Aa. Ant. Fab. 17. conj. c. 1. & Dn. Bachov. in Treutl. 1. 14. 4. C. & 12. C.* hanc particulam explicant & accipiunt. Commodissima omnium explicatio esse videtur, si cum verbis, qui proprio titulo munitus est, quasi jungatur, & ad verbum, convenitur, simul referatur, quasi diceret, Qui titulum specialem habet, etiam speciali in rem actione omnino est conveniendus; ut ita potius excludatur, hereditatis petitio. Cuj. *in h. l.* Dn. D. Bitsch. *sape d. loco.*

43. Deniq; verba illa, SINGULARUM RERUM JURE nihil aliud quam Rei vindicationem significant Don. 19. comm. 12. lit. Z.

44. Ex hactenus dictis apparet sermonem hic esse de Emptione & venditione partis bonorum seu rerum singularum non autem de emptione universitatis vel hereditatis, cujus observati discriminis etiam alibi insignis est usus.

45. Nam I. Venditor hereditatis (vel alijs juris *l. 4. de hered. vend. l. 5. 74. f. de evict.*) non tenetur tradere, sed liberatur, si cedat actiones, & tantum se heredem esse, dolumq; malum praestare tenetur *l. 2. §. 3. l. 14. §. 1. 15. de hered. vend. l. 50. de V. O.* Cuj. *in rec. ad l. 1. C. de evict.* quae secus se habere in venditione rei vel corporis ex *l. 11. §. 2. & §. 13. l. 3. p. de A. E. l. 35. §. 1. 4. 5. C. de donat.* colligere etiam Dupondio facile est.

46. II. Vendita re singulari, vel etiam universitate facti, de evictione tenetur venditor, licet eam non promiserit *l. 6. C. de evict.* imò licet pars tantum illius evicta sit *l. 1. 36. 43. 56. §. 2. de evict.* Cujac. *in l. 23. de usurp.* Bach. *in Tr. 2. 2. 6. D.* licet non pauci dissentiant. Vendita autem universitate juris non tenetur venditor de evictione rei singularis *l. 1. C. de evict. cum similib.* imò ne quidem si omnia bona sive tota hereditas evicta est *arg. l. 7. 12. de her. vend. l. 47. §. fin. de evict.* Bald. *in l. 1. C. de evict. n. 2.* Diss. *gl. Bart. & Sichard. ibid. n. 9.*

47. III. Emptor hereditatis rem suo sumptu & periculo defendere tenetur nec ullo casu, hoc est, sive vicerit, sive victus sit, sumptus à venditore repetere potest *d. l. 1. Wes. π. de her. vend. nu. 3. &*

B

Cujac.



Cujac. in d. l. i. Emptor autem rei singularis victus regulariter repetit
arg. l. 9. 16. C. de evict. qui tamen si vicerit, repetere eos nullo modo
poterit à venditore, ut est communis opinio gl. Salic. Cyn. Bald. Si-
chard & ex recentioribus Cuj. & Don in l. i. C. de evict. D. Bach. in not.
ad Treutl. 2. 2. 8. D. & E. Sanè ab adversario hoc casu expensas conse-
qui poterit, cum victus victori in eas sit condemnandus l. 13. §. 6. C. de
judic. l. ult. C. de lit. exp. ut est commun. opinio teste Jas in d. §. 6. col. 7.
Sal. in d. l. ult. n. 2.

48. Denique occasione hujus legis quarunt Dd. Utrum peti-
tio hereditatis & Rei vindicatio simul uno libello cumulari possint?
quod negandum puto arg. l. 16. 18. de exc. & l. 3. l. 7. §. pen. & ult. de exc.
rei jud. gl. h. Cyn. h. n. 5. Bald. ib. n. ult. Ang. ib. n. 6. Dis. Salic. & Sich.
h. n. 6. 7. Castr. ib. n. 3. Sanè contra diversos pro rebus diversis, sine du-
bio eodem tempore intentari poterunt l. 49. de H. P. l. 3. C. b. & con-
tra eundem pro diversis rebus argum. l. 7. §. ult. de H. P. Bald. Ang. &
gl. d. l.



P A R E R G A.

I.

*Falsum est, nullum contrarium in jure inve-
niri posse.*

II.

*Communissimam Dd. computationem in L. 2.
C. de resc. vend. erronearum duco.*

III.


*Iuramentum Calumnie in capitalibus Reo
non esse deferendum assero.*

SOLI DEO GLORIA.

X 2615926

VD.17





303

D. PETIT. 26
M
MAGNIFICI
SSIMI
NSULTO
NIS ILLU-
EMIAE AR-
ENSIS.
D. O. M.
ue Jure Doctora-
is conse-
is 1634, 3.
i submittit
OVICUS MIEG
gensis.
M. DC. XXXIV.
onsuetis.
DRATI
IS RE P P I.
XXXIV.

IUS CIVILE

TEMPERANTIA